Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8337
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

et ne protrahas datum angustianti anime. Rogationem contribulati ne abicias et ne avertas faciem tuam ab egeno. In iudicando esto pupillis misericors ut pater et pro viro matri illorum. Idem ca. xiii. Pascua divitum sunt pauperes. Humilis autem cum ceciderit expellitur et a notis. Locutus est sapiens et non est ei datus locus.

De misericordia et immisericordia. Capitulum xi.

In Exodo ca. xxii. Pauperis misereberis in negotio.

Psalmista ps. xxxvi. Iustus miseretur et tribuit. Idem lxxx ps. Misericordiam et veritatem deus diligit. Idem ps. Misericordia et veritas obviaverunt sibi.

Salomon in proverbiis ca. iii. Misericordia et veritas non te deserant. Idem xi ca. Benefacit anime sue vir misericors. Qui autem crudelis est et propinquos abicit. Idem ca. xiiii. Qui miseretur pauperis beatus erit. Qui credit in domino misericordiam diligit. Misericordia et veritas preparant bona. Idem xvii ca. Qui in ruyna letatur alterius non erit impunitus. Idem xviii ca. Homo indigens misericors est. Idem ca. xxii. Qui pronus est ad misericordiam benedicetur.

Aristoteles rhetoricorum libro ii ca. xi. Misericordia est tristitia quedam super apparenti malo corruptivo vel contristativo eius qui indignus est sortiri, quod ipse expectet se passurum aut aliquis suorum, et hoc cum prope videatur. Idem ca. xvi. Iuvenes miserativi sunt quia omnes bonos et meliores arbitrantur. Sua enim innocentia proximos mensurant, quia indigna pati existimant ipsos.

Ihesus filius Sirach in Ecclesiastico ca. iii. Cor durum male habebit in novissimo. Idem iiii ca. Non exasperes pauperem in inopia sua. Cor inopis non afflixeris et non protrahas datum angustianti anime. In iudicando esto pupillis misericors ut pater et pro viro matri illorum.

Tullius tusculanarum questionum libro iii. Misericordia est egritudo ex alterius rebus adversis.

Quintilianus declamatione viii. declamatio. Est quedam felicibus difficilis miseriarum vera estimatio. Superbus existimat longa felicitas et alienum facile casum despicit.

Matheus in Evangelio ca. v. Beati misericordes quoniam ipsi misericordiam consequentur.

Lucas in Evangelio ca. vi. Estote misericordes sicut pater vester misericors est.

Seneca de clementia. Misericordia est vitium animorum nimis miserias patiendi.

Valerius maximus libro iiii. titulo de abstinentia et continentia populi romani. Mirifica abstinentia conspecta est in procella qua Gayus Marius et Lucius Cinna rei publice inflixerant. Nam cum a se proscriptorum penates vulgi manibus diripiendos obiecissent, inveniri nemo potuit qui civili luctu predam peteret. Unusquisque enim se ab his perinde ac sacris edibus abstinuit. Quia quidem tam misericors continentia plebis tacitum crudelium victorum convicium fuit. Idem libro v. titulo primo. Laudabile est infelici hosti misereri.

Idem libro ix. titulo de superbia. Gneius Pompeius balneo quo egressus ante pedes suos prostratum Hypseum ambitus reum et nobilem virum et sibi amicum iacentem reliquit contumeliosa voce proculcatum. Nichil enim eum aliud agere quam ut convivium suum moraretur respondit.

Lex C. de naturalibus liberis l. legem. Misericordia digni sunt qui alieno laborant vitio.

Auctor libri de formula honeste vite ca. iiii. Ad misericordiam sis promptus.

Boetius de consolatione libro iiii. ca. vi. Miserandi sunt quorum mentes omni languore atrociori urgent improbitas. Ibidem ca. viii. Apta vicem reference meritis. Dilige iure bonos et miserere malos.

Versificator fabularum Esopi fabula xliiii.
Te nulla potestas
In miseros armet; sua potes esse miser.

Henricus Samariensis libro primo parte prima.
Nam quotiens miserum probus expugnare laborat
Se misero similem mittitur esse probus.

Gualterus de Castellione libro vi.
Sors miseri querula est, felicis non stabilis
Est status et tumidus nulla est compassio mentis.

Jacobus Beneventanus ca. xxvi.
Nec spernas aliquem quia forsan sit miser ipse
Evolvit currum parva lapis exiguus. no

De humana consolatione miserorum. Capitulum xii.

Job ystorie ca. ii. Quidam amicus Job nomine Heliu consolatus fuit Job in adversitate eius his verbis. Docuisti multos et ma-